

R. *Dist. min.* Forma materialis nequit esse sine materiâ, *conc.*, forma immaterialis, *neg.* Ratio est quia forma materialis, v. g. anima vegetativa plantarum vel anima sensitiva animantium, nullam habet operationem quæ per corporis organa non exerceatur. Anima verò humana « est ultima in nobilitate formarum. Unde in tantum suâ virtute excedit materiam corporalem, quòd habet aliquam operationem et virtutem in quâ *nullo* modo communicat materia corporalis. Et hæc virtus dicitur intellectus. » (1^a, q. 76, a. 1).

Obj. 2^o Deus poterat animam humanam non creare; ergo potest eam annihilare.

R. *Neg. conseq.* Quanquam enim Deus liberè animam humanam creavit, eam tamen, semel creatam, tractare debet prout exigit natura quam ipse illi dedit et prout exigit vitæ bonæ vel malæ idonea, sanctio. Porrò ex probatis, anima humana, utpote spiritualis, est etiam naturâ ipsâ immortalis; quam immortalitatem confirmat vitæ præsentis sanctio, seu bona, seu mala fuerit.

285. *Obj.* 3^o Anima humana, cùm sit finita, habet etiam vires finitas. Porrò vires finitæ temporum tractu et ipso usu paulatim minuuntur, donec omnino extenuentur.

R. *Dist. min.* Vires corporeæ seu *organicæ, conc.*, vires *spirituales, neg.* Et quidem minuuntur et extenuentur oportet vires organis alligatæ, quippe quòd organa ipsa minuuntur imò sæpè lædantur a causis externis, et suaque naturâ dissolutione partium intercidant. Sed vires spirituales nec ab organis pendent, nec ab agentibus externis attinguntur, nec habent unde exhauriantur, cùm non habeant unde dividantur. Quare diuturnitas temporis animam separatam minime afficit, seu, ut ait Plato, senectus (*supra* n. 260, 2) non cadit in mentem.

286. *Obj.* 4^o In hac vitâ boni fruuntur gaudio conscientie et approbatione hominum, mali autem conscientie remorsu torquentur, vel a iudice damnantur ut par est; quare non exigitur sanctio alterius vitæ, aut saltem vitæ immortalis.

R. 1^o Opinio, ac proinde approbatio hominum, sæpe non

est sincera aut justa; iudices autem omnia crimina non puniunt, imò multa ignorant.

2^o Gaudium vel remorsus conscientie in tantum vim habet, in quantum unusquisque scit Deum esse in hæc vitâ pervigilem testem, in alterâ verò iudicem ac vindicem. Unde, si alterius vitæ spem vel timorem abstuleris, erit conscientie vis aut nulla, aut minima.

3^o Gaudium vel remorsus conscientie non *omnes* bonos, vel malos actus attingit, nec *æquâ* ratione. Non attingit omnes actus bonos aut malos, quum ii qui mortem ipsam appetunt ne deserant officium, nullo jam frui valeant gaudio conscientie; qui autem violentas manus sibi inferunt, nullum conscientie remorsum patiantur. — Nec *æquâ* ratione; tum quia impii eò minus conscientie stimulis exagitari solent quò magis in profundum veniunt; tum quia nonnunquam sinit Deus piissimos viros dubiis aut inquietudine conscientie agi, dum quidam, positi extra vitia et virtutem, tranquillam vitam beatumque animum ducunt.

Insuper, nostra responsio rursus confirmabitur ex dicendis de pœnarum æternitate.

ARTICULUS IV

De conditione hominis in alterâ vitâ.

Quæri potest 1^o quisnam futurus sit status intellectûs in alterâ vitâ? 2^o utrum anima suo corpori rursus unienda sit? 3^o utrum admitti possit vel debeat æterna pœna pro illis qui malè vixerint?

§ I. — De statu intellectûs in alterâ vitâ.

287. 1^o *De illius objecto.* Docet D. Thomas triplex esse *præcipuum* objectum intellectûs humani separati a corpore, nimirum: 1. species intelligibiles *olim* abstractas et memoriâ servatas; 2. species acceptas ex influxu divini luminis; 3. species acceptas ex commercio suo cum animabus separa-

tis præstantioribus, jam cum animâ humanâ conversantibus (1). De 1^o quidem nulla difficultas, ex dictis; de 2^o verò, planum est animam humanam quasdam veritates accipere debere ex suâ societate cum illis mentibus nobilioribus, pro illarum tamen arbitrio. — Quod ad 3^{am} spectat, naturale est angelis ut intelligant per species ex influentiâ divini luminis haustas; ac proinde id etiam naturale erit animæ humanæ, cum a suo corpore recesserit, seque, licet inferiori modo, ad superiora converterit.

Si autem quærat utrum anima separata cognoscat res *singulares*, et ea quæ in *his* terris aguntur respondet S. Thomas: « Animæ separatæ non possunt cognoscere per hujusmodi species (infusas a Deo), nisi solùm singularia illa ad quæ quodammodo determinantur vel per præcedentem cognitionem, vel per aliquam affectionem, vel per naturalem habitudinem, vel per divinam ordinationem » (1^a, q. 89, a. 4, c). — Quod spectat ad ea quæ in terris aguntur, « videtur, secundum sententiam Gregorii, quòd animæ *sanctorum* Deum videntes, omnia præsentia quæ hic aguntur, cognoscant ». — Animæ verò separatæ quæ nondum Deum vident non gaudent eâ cognitione, nisi forte, ut explicat S. Thomas: « Possunt etiam facta viventium non per seipsas cognoscere, sed vel per animas eorum qui hinc ad eas accedunt, vel per angelos seu dæmones, vel etiam Spiritu Dei revelante. » (*Ib.* a. 8, c. et ad 1).

288. 2^o *De perfectione cognitionis animæ separatæ.* Sunt qui putent animam separatam perfectiùs intelligere quàm his in terris, etiamsi res consideretur in ordine *naturali*. At perperam; hoc enim admissio sequeretur unionem animæ cum corpore non esse naturalem, et animæ potiùs in præ-

(1) « Anima post mortem tribus modis intelligit: uno modo, per species quas recepit a rebus dum erat in corpore; alio modo, per species in ipsâ suâ separatione a corpore sibi divinitus infusas; tertio modo, videndo substantias separatas, et in eis species rerum intuendo. Sed hoc ultimum non subjacet ejus arbitrio, sed magis arbitrio substantiæ separatæ, quæ suam intelligentiam aperit loquendo et claudit tacendo. » (*Qq. de Verit.*, q. 19, a. 1, c).

judicium quàm in adjutorium cedere, quod repugnat iis quæ probavimus, ubi ostendimus animam naturali ordine ad corpus referri, atque cognitionem sensitivam intellectuali cognitioni vehementer prodesse.

Porrò cum anima separatur a suo corpore, non ideo naturam suam amittit, aut ad angelicæ mentis perfectionem elevatur; et quanquam jam intelligat per conversionem ad pura intelligibilia, is tamen intelligendi modus minùs respondet ejus naturæ, quàm modus intelligendi per conversionem ad phantasmata. Nam ut pulchrè docet D. Thomas, substantiæ intellectuales *separatæ*, quarum mens est nobilior, intelligere solent per ideas « *pauciores et magis universales, et virtuosiores ad comprehensionem rerum.* » Ast intellectus humanus, cum sit imbecillior virtute, ex ipsâ naturâ habet ut intelligat « *per formas plures, et minùs universales, et minùs efficaces ad comprehensionem rerum,* » ut in diversis etiam hominibus apparet. « Nam qui sunt debilioris intellectûs, per universales conceptiones magis intelligentium non accipiunt perfectam cognitionem, nisi « *eis singula in speciali explicentur... nec ad scientiam induci possunt, nisi per sensibilia exempla.* » (1^a, q. 89, a. 4, c). Propterea intellectus humanus, a corpore separatus ac destitutus sensilium rerum adminiculo, ex formis universalioribus accipere nequit « *perfectam cognitionem de rebus, sed in quadam communitate et confusione.* »

289. 3^o *De permanentiâ intellectûs agentis in alterâ vitâ.* — Anima separata nullas species intelligibiles a rebus materialibus abstrahit, siquidem tum neque corpori suo unitur neque cum cæteris corporibus habet commercium. Quæri igitur potest utrùm in animâ separatâ remaneat *intellectus agens*; is enim, quum ad id animæ hominis sit necessarius, ut species intelligibiles ex phantasmatibus ope abstractionis elicere possit, videtur actu et omni usu vacare, semel ac cessat animæ commercium cum rebus materialibus.

Porrò ipsum in animâ etiam separatâ remanere pro certo habendum est; soluto enim corpore, dissolvi aut ex animâ adimi nequit, cum sit naturæ spiritualis.

Non tamen conveniunt scholastici circa munus intellectus agentis, in animâ separatâ; alii enim volunt eum etiam tum actu non vacare, sed auxilio esse intellectui possibili, per quamdam illuminationem in ipsum exercitam; alii autem putant eum actu quidem non exerceri, sed remanere ad animi integritatem atque ornamentum. Prioris sententiæ ratio est quòd nihil vetat intellectum possibilem ab intellectu agente illustrari, quantum ad *usum* specierum olim per abstractionem intellectus agentis acceptarum, eoque supposito munere, servari actum intellectus agentis vel separati. — At opinionis posterioris ratio est quòd, ex unâ parte, ægrè concipitur quid sit illuminatio illa quam in intellectum possibilem exercet intellectus agens, quin eâ iste indigere videatur. Ex alterâ parte, minimè repugnat intellectum agentem aliquo tempore vacare actu; in tantum enim repugnaret, in quantum vel intellectus separatus nullum actum haberet, vel fortassis ipse intellectus agens omni exercitio in posterum destitueretur. Sed neutrum dici potest, quia intellectus possibilis, a corpore separatus, propriam operationem retinet, ipseque intellectus agens actionem suam statim est habiturus, atque iterum corpori suo anima conjungetur.

Imò verò non desunt exempla ex ordine *supernaturali* petita: admittitur enim remanere in *beatissimis* virtutes quasdam ad *ornamentum* animæ, tametsi actus earum non remaneat, qualis est temperantiæ, castitatis, aut etiam pœnitentiæ virtus.

§ II. — Utrum in alterâ vitâ anima suo corpori rursus demum unienda sit?

290. Quòd si philosophicè consideretur *resurrectio* corporis, dici nequit *simpliciter* necessaria, ut patet attendenti, sed tamen ut *moraliter* necessaria habenda est.

Probari potest 1° *ex naturâ hominis*. Ut enim centies diximus, essentia hominis non consistit in animâ solâ, nec ut merum animæ instrumentum corpus considerandum est.

Econtrâ homo propriè constat in unione substantiali animæ et corporis, unde unica resultat substantia, animâ simul et corpore composita. Quamobrem separatio a corpore animæ accidentaliter est, naturalis autem status unionis, qui proinde resurrectionem corporis aliquando tandem postulat.

2° *Ex pleno virtutis humanæ præmio*. Licet enim virtus ab animâ propriè ac præcipuè originem habeat, suas tamen in eâ colendâ corpus habet partes. Anima quippe, dum his in terris degit, suas omnes actiones unita corpori exercet, corpusque saltem virtutis humanæ *organum* dicendum est. Quin etiam certæ quædam virtutes, ut castitas, temperantia, et fortitudo, exerceri haud queunt, nisi anima corpori satis duram vim inferat. Æquum igitur omnino est, ut quemadmodum pugnæ, pro virili parte, corpus adfuit, sic in alterâ vitâ, intersit etiam præmio.

Ipsa ergo anima, ut ait D. Thomas, sui corporis appetit beatitudinem, et sin *intensivè*, at saltem *extensivè*, crescit ejus beatitudo, rursus ipsi conjuncto corpore. (Cf. 1^a 2^a, q. 4, a. 5. c. et ad 5).

§ III. — Utrum admitti possit vel debeat æternitas pœnarum pro iis qui malè vixerint?

291. *Opiniones*. Increduli recentiores (priors enim hæretici hæc de re non moverant dubium) contra æternitatis pœnarum dogma, inflatis buccis, blaterant, ac volunt illud cum rationi, tum bonitati, sapientiæ ac justitiæ Dei repugnare. Quidam econtrario, docent æternitatem pœnarum non tantum cum ratione non pugnare, verum etiam ratione solâ posse adstrui. Nos autem duo pro certis habemus, scilicet 1° æternitatem pœnarum nequaquam rationi adversari; 2° ratione ipsâ sin strictè probari, at saltem vehementer suaderi.

292. I. *Æternitas pœnarum rationi non repugnat*. — In tantum enim repugnaret, in quantum justitiæ adversaretur, aut sapientiâ vacaret, aut non deceret bonitatem Dei. Sed nullum ex his tribus dici potest.

1^o *Demonstrari nequit eam adversari justitiæ*, quia demonstrari nequit eam gravi seu *mortali* culpâ majorem esse. Nam sententiam illam ferre nobis non licet, nisi clarè agnoscamus quanta sit majestas Dei contra quem peccatur, aut quanta peccati mortalis malitia. Porrò hæc duo non satis nobis nota sunt. — Imò verò talis pœna, ut infra ostendetur, cedit potius in manifestationem justitiæ Dei, quæ perinde ac cætera ejus attributa digna est quæ hominibus manifestetur et ab eis colatur honore.

Ut scopum suum attingant, nolunt rationalistæ mensurari pœnam nisi cum *duratione* culpæ. Verùm enimvero non cum duratione, sed cum gravitate culpæ pœnam commetiri decet; nec aliter sentiunt aut faciunt ipsi humani judices in ferendis suis sententiis. In ipsâ quippe societate *civili* duplicis generis pœnæ distinguuntur, pro duplici criminum genere. Quarum aliæ, si crimen id ferat, perpetuæ sunt et reum a civium consortio expellunt; ita *mors*, vel *exilium perpetuum*; aliæ autem breviores sunt, prout rei curationi expedit. — Ita porrò æquum est ut in societate Dei duplex notetur pœnarum genus, pro duplici criminum genere; si quis enim sceleratus decedat, a Dei et sanctorum consortio in æternum excluditur; si autem levi duntaxat peccato inquinetur, temporarias pœnas luat satis est. (Cf. S. Thom. S. th. *Supplem.*, q. 99, a 1, c.)

2^o *Nec sapientiâ vacat æterna pœna*, ut adversariis placet, qui eam *medicinalem* non esse conqueruntur. At 1. si illis medicinalis non est, qui eâ afficiuntur, at saltem medicinalis est non paucis aliis qui hoc metu a culpâ tandem deterrentur. Porrò pœna ipsa quæ secundum leges humanas infligitur, non semper ei qui punitur, sed solum aliis medicinalis est; v. g. morte afficitur homicida non ut ipse emendetur, sed propter alios, ut saltem metu pœnæ peccare desistant.

2. Ad essentiam pœnæ non pertinet ut sit medicinalis, satis autem est ut utilis sit *ordini* servando. Porrò non solum utilis, verùm etiam necessaria videtur pœna æterna ad *sanctionem* legis moralis efficacem; nam homines ita sunt ad malum proclives, ut non satis ab eo deterrentur, nisi æternæ animadversionis immineret terror.

3^o *Pœnarum æternitas bonitati Dei non officit*; sive quòd ipsa considerari non debet independenter a cæteris illius attributis; sive quòd hæc pœna minor etiam esse potest culpâ mortali; sive quòd tanto amore ac tantâ patientiâ peccatores, dum viverent, persecutus est, ac tantum hunc Dei amorem et patientiam mali offenderint, ut jam esse non possit misericordiæ locus (1).

293. II. *Æternitas pœnarum vehementer suadetur ratione.*

Prob. I. Indirectè. Triplex enim fingi potest hypothesis circa sortem animarum quæ peccatis sceleratæ ex hac vitâ decedunt. Quippe vel annihilantur a Deo, vel ad beatitudinem **evocantur**, **emense** certo expiationis intervallo, vel æternâ pœnâ mulctantur. At duo priora dici nequeunt.

Non 1^{um}. — Nam 1^o, Deus nunquam agit contra entium naturam. Porrò si annihilaret peccatorum animas, contra earum naturam ageret, utpote quæ sint naturâ immortales. — 2^o Repugnat animas humanas, quarum una eademque est natura, alias quidem in æternum permanere, alias verò in nihilum redigi. Homines namque singuli, seu benè, seu malè hac in vitâ se gesserint, animam naturaliter immortalè æquè habent. — 3^o Annihilatio vel *pœna* dici non debet, vel saltem non æqua culpæ, nec idonea sanctio servandæ legi morali. Enimvero plurimi homines annihilationem sui post hanc vitam non reformidarent, ac perpauci invenirentur

(1) « Dante a mis sur la porte de son enfer : Vous qui entrez, laissez « l'espérance. C'est l'éternelle justice qui m'a fait et le premier amour. Si « ce n'était que la justice qui eût creusé l'abîme, il y aurait du remède, « mais c'est l'amour aussi... Voilà ce qui ôte toute espérance. Quand on « est condamné par la justice, on peut recourir à l'amour; mais quand on « est condamné par l'amour, à qui recourra-t-on? Tel est l'amour des « damnés. L'amour qui a donné son sang pour eux, cet amour-là même, « c'est celui qui les maudit... Eh quoi! un Dieu sera mort pour vous sur « une croix; et après cela, vous pensez qu'il vous sera permis de blasphé- « mer, et de rire, et d'aller sans crainte aux noces de toutes vos voluptés! « Oh non! détrompez-vous; l'amour n'est pas un jeu; on n'est pas im- « punément aimé par un Dieu; on n'est pas impunément aimé jus- « qu'au gibet. Ce n'est pas la justice qui est sans miséricorde, c'est l'a- « mour. L'amour, nous l'avons trop éprouvé, c'est la vie ou la mort, et « s'il s'agit d'un Dieu, c'est l'éternelle vie ou l'éternelle mort. » (Lacordaire, 72^e confér. de Notre-Dame).

quos metus iste aut ad virtutis ardua satis incitaret, aut a pravis vitæ hujus voluptatibus deterreret. Quamobrem lex moralis sanctione suâ careret (1) jam, quod sapientiæ Dei repugnat.

Non 2^{um}. — Sanctitas Dei exigere videtur ut res essentiâ suâ contrariæ exitum eundem non sortiantur. Porrò virtus et peccatum sunt res essentiâ contrariæ; ergo habere non possunt eundem exitum. Haberent autem si, elapso quodam temporis spatio, reproborum animæ ad beatitudinem evocarentur. — Id potissimum manifestum est, si inter se comparentur quorum vita nunquam non casta piaque extitit, et quorum vita nullis sordibus aut sceleribus caruit. Appositè S. Hieronymus : « *Si finis omnium similis est, præteritum omne pro nihilo est, quia non quærimus quid aliquando fuerimus, sed quid semper futuri simus.* »

II. Directè. — 1^o Eadem est ratio cur pii remunerentur et impii pœnam luant. Porrò, ex probatis, æterna sit necesse est piorum merces. Ergo et malorum pœna. — 2^o Peccato mortali infinita Dei majestas graviter violatur; et id crimen quiddam infiniti præsefert, ac meretur pœnam aliquâ parte infinitam. Sed hæc pœna infinita esse nequit *intensivè*, quia creatura infinitæ qualitatis capax non est. Ergo debet esse *duratione* saltem quadamtenus infinita. — 3^o Manente culpâ, pœna manere debet. Sed culpa hominis in gravi peccato decedentis manet in æternum; culpa enim non potest remitti sine *gratiâ*, quam homo post mortem non quit acquirere.

Et verò, qui graviter peccat, sese a Deo sciens avertit et in creatis rebus *finem* suum constituit, quibus proinde immobiliter adhæret. Nec, morte semel interceptus, denuò

(1) Plures pagani philosophi vel poætæ hoc pro certo habuerunt, inter quos Plato (*Gorgias*, LXXXI, édit. Leips.) et Virgilius qui sic loquitur :

Sedet æternumque sedebit

Infelix Theseus...

..... Rostroque immanis vultur obunco
Immortale jecur tundens fecundaque pœnis
Viscera, rimaturque epulis habitatque sub alto
Pectore; nec fibris requies datur ulla renatis.

(*Æneid.* l. VI).

sursum erigere se potest; præteriit quippe jam *gratiæ* ac *penitentiae* tempus; unde nulla ei via suppetit mutandi conditionem suam.

SCHOLIUM.

Contra metempsychosim et palingenesiam.

294. I. *Expositio.* Antiqua opinio fuit apud Ægyptios cæterasque Orientis gentes, animas ex alio in aliud corpus transmigrare; quam quidem opinionem tenuerunt Pythagoras, Plato aliique veteres philosophi. Nam quemadmodum putabant animas olim in astris degentes, ob scelus et pœnam in corpora esse immissas, ita censebant eas, si rectè vixissent, post separationem suam a corpore ad astra iterum evocandas fore; sin malè, ex alio in aliud corpus vel humanum, vel belluinum, vel aliud generis transmigraturas esse, donec tandem expiarent crimen atque ad meliores fruges sese converterent. — Huic sententiæ recens adhæserunt progressus continui fautores, nisi quòd eam, non ob culpam pœnamve, sed ob *perfectionem universi* admiserunt; ita præsertim Leroux, Reynaud, Michelet.

Palingenesia autem idem sibi vult ac nova quædam generatio sive nativitas, quâ mens nostra, soluto corpore, in divinam iterum substantiam, cujus est particula quædam decerpta, transfunditur; ita olim Plotinus ac recens diversi pantheismi fautores.

295. II. *Refutatio.* *Metempsychosis* 1^o supponit animam *indifferenter* ad quodlibet corpus se habere et, ab uno exutam, alteri uniri posse, sicut homo exutus uno vestimento, induit alterum. At verò repugnat animam humanam belluino corpori conjungi, propterea quòd materiam formæ proportionatam esse oportet; corpus autem belluinum animæ rationali non est proportionata materia. 2^o Supponit *metempsychosis* futurum fore ut homo qui in prioris *probationis* ævo malè se gessit, ad meliores tandem fruges sese recipiat. Atqui potest etiam in suâ pravitate perstare, nec ad Deum reverti.

3^o Doctrina catholica, ut notat Lacordaire, colligit quidquid misericordiæ inesse videtur metempsychosi. Nam pueritia, juvenus, maturius ævum et senectus haberi revera possunt ut varia tempora in quibus Deus homini varias *probationes* offert, eumque ad se variis auxiliis, variis modis trahere nititur. Quòd si quis toties, tam patienter, tam variè *vocatus*, ad Deum venire renuit, *pertinacem* se declarat.

Quod attinet ad *palingenesiam*, falso innititur fundamento, cum supponat animam esse particulam quamdam Dei. — Tollit immortalitatem animæ; siquidem ea in divinam substantiam transfusa atque jam absorpta, proprium esse, propriam personalitatem amittit, nec habet conscientiam sui, nec ea dici potest quæ corpori olim conjuncta, benè vel malè se gesserit meritaque sit mercedem vel pœnam.

FINIS TOMI PRIMI.

INDEX

QUÆSTIONUM QUÆ IN LOGICA ET ANTHROPOLOGIA SOLVUNTUR

DEDICATIO.....	v
LITTERÆ LAUDATIVÆ.....	VI-VIII
PROOEMIUM: De variis sinceræ philosophiæ dotibus; eas omnes eminentiùs præ se fert D. Thomæ philosophia.....	1
PHILOSOPHIÆ PROLEGOMENA circa philosophiæ definitionem, divisionem, historiam, præstantiam et utilitatem.....	10

LOGICA

Præviæ notiones circa naturam, divisionem, excellentiam, utilitatem et historiam Logicæ.....	19
--	----

LOGICÆ PRIMA PARS

DE VERITATIS INVENTIONE, SIVE CRITERIOLOGIA

Præviæ notiones circa objectum et divisionem Criteriologiæ.....	25
CAPUT I. — <i>Notiones generales de veritate, certitudine et evidentia</i>	26
Art. I. — De veritate.....	26
§ I. — De natura et diversis speciebus veritatis.....	26
§ II. — De vario animi statu erga veritatem.....	27
Art. II. — De certitudine.....	28
§ I. — De certitudinis notione ac speciebus.....	29
§ II. — De certitudinis existentia et ratione; necnon de primo philosophico.....	31
§ III. — De gradibus certitudinis.....	33
Art. III. — De evidentia.....	35
§ I. — Quid sit evidentia?.....	36
§ II. — Quotuplex sit evidentia?.....	36
§ III. — Utrùm omnibus veritatibus conveniat?.....	37